



3 2044 019 845 684



INFORMATORIUM BIBLIOTHECARII CARTHUSIENSIS.



INFORMATORIUM
BIBLIOTHECARII
CARTHUSIENSIS

DOMUS VALLIS BEATÆ MARGARETHÆ

IN BASILEA MINORI

EX AUTOGRAPHO

FRATRIS


GEORGII CARPENTARII

IN BIBLIOTHECA BASILIENSI ASSERVATO

NUNC PRIMUM EDIDIT

LUDOVICUS SIEBER
UNIVERSITATIS BASILIENSIS BIBLIOTHECARIUS.

BASILEÆ
EX TYPOGRAPHIA SCHWEIGHAUSERIANA
MDCCCLXXXVIII



By mail

VIRO DOCTISSIMO INTEGERRIMO CONSULTISSIMO

ANDREÆ HEUSLER

LEGUM PROFESSORI ORDINARIO

ANTECESSORI ILLUSTRISSIMO

BIBLIOTHECÆ ACADEMICÆ BASILIENSIS

CURATORUM PRÆSIDI

AMICO JUCUNDISSIMO

DIE XVII MARTII A. MDCCCLXXXVIII

QUINQUE LUSTRA

IN PROFESSORIO MUNERE FELICISSIME PERACTA

SOLEMNITER CELEBRANTI

SACRUM.

Sunt nonnulli, qui librorum comparationi resistant. Attendant hi, quod sequitur, utpote quid sit monasterium sine libris.

Monasterium sine libris est, sicut
Civitas sine opibus,
Castrum sine muro,
Coquina sine suppellectili,
Mensa sine cibis,
Hortus sine herbis,
Pratum sine floribus,
Arbor sine foliis.

Jacobus Louber,
Prior Carthusiæ Basiliensis.
(1480—1501.)



INFORMATORIUM

BIBLIOTHECARII SEU LIBRARII

DOMUS VALLIS BEATÆ MARGARETHÆ
IN BASILEA MINORI
CARTHUSIENSIS ORDINIS.

CONTINENS
XII CANONES SIVE REGULAS INFORMATIVAS
OFFICII SUI.



uia (prout continetur in 2 parte Sta- 2 a
tutorum antiquorum ca. 16. §. 9)
libris noſtris omnem diligentiam
curamque præbere monemur, ne
fumo, ne pulvere vel alia qualibet
ſorde maculentur, (quippe [§. 10] quos tanquam
ſempiternum animarum noſtrarum cibum cautiſſime
cuſtodiri et ſtudioſiſſime volumus fieri, ut quia ore
non poſſumus, dei verbum manibus prædicemus;
quot enim libros ſcribimus, tot nobis veritatis
præcones facere videmur, ſperantes a domino mer-
cedem pro omnibus, qui per eos vel ab errore cor-
recti fuerint vel in catholica veritate profecerint,
pro cunctis etiam, qui vel de ſuis peccatis et vitiis
compuncti, vel ad deſyderium fuerint patris cæleſtis
accenſi), ſatis claret, quantum ſtudii debeamus Biblio-

thecis noſtris, quave cura ſit invigilandum ei, cui librorum fuerit iniuncta cuſtodia. Quæ tametſi Sacriſtæ peculiariter commendata ſit, (prout patet par. I. an. c. 34. §. 9 ubi dicitur, quod libros ſeu legendos ſeu tranſcribendos a Sacriſta poſcimus et accipimus, et c. 41. §. 31 eiuſdem: Sacriſta libros cum accommodantur ſcribit, pignus retinet et cuſtodit), ſi tamen alteri vel ipſi talis obedientia, ſervandorum ſcilicet librorum, fuerit commiſſa, iuxta ſubſequentes canones ſeu informationes procedere poteſt et debet, ut ordinis voluntatem et domus conſuetudinem rite ſervare poſſit.

CANON PRIMUS.

Bibliothecarius diligenter ſæpius utramque Bibliothecam reſpiciat, quatenus libri ſinguli ſingulis ſuis armariis recte ſint illocati. Et quos aliter quam decet iacentes offenderit, recte componens interim aſpiciat, ſi ſchedulae dorſales ſint agglutinatæ vel non, aut ſcriptura caduca, vel aliquis alius defectus ab extra appareat. Item ſi clauſuras reppererit in libris confractas aut avulſas, quam cito potuerit, faciat reparare.

CANON SECUNDUS.

Utriusque Bibliothecæ Regiſtra diligenter legat et relegat, quatenus in promptu noſſe queat, quid deficiat, vel quid requiratur ab ipſo, tam ab in-

traneis quam ab extraneis, ſæpius recurſum habendo ad Repertorium univerſale totius librariæ, ſive magnum Regiſtrum, in quo ſpecialia continentur.

CANON TERTIUS.

Bibliothecarius diligenter tempus observet, quando Libraria ſit purganda vel regiſtranda. Quod ſane cognoſcet ex certo peculiari regiſtro ſuper hoc noviter facto, quod dicitur Uſuale etc. Nihilominus tamen quotiescunque viderit Blattas, id est librorum vermes, vel pulverem aut ſitum redundare, præſidenti primum hoc intimet aut indicet, ex cuius iuſſu remedium poſtea apponatur. Porro prout habetur ſcriptum in veteri regiſtro de manu P. Jacobi Louber, quondam huius domus prioris, ſingulis annis ſemel deberet regiſtratio fieri; ſed quia non ſemper videtur eſſe neceſſarium, maxime in antiqua libraria, cuius volumina rariſſime alienantur, ideo ſufficere videretur, quod ſemper in anno biſſextili, id est in quarto ibidem fieret regiſtratio ſolemnis. Interim tamen ſæpius debet repurgari vel a blattis emergentibus excuti. Non sic de nova (niſi deeſſent libri recentiores regiſtrandi) quæ ad minus de biennio in biennium debet perluſtrari, eo quod illius volumina frequentius ad cellas deportentur vel alias alienentur. |

Similiter et libraria fratrum laicorum ad minus 2 b
infra biennium regiſtretur vel ſaltem perluſtretur, eo quod volumina illius nondum ſint ordinate ſig-

nata, quemadmodum libri latini, et quod contingat complures perire seu amitti, nisi sæpius perquirantur, prout alibi patet, nempe in Registro Usuali et in Registro librorum vulgarium. Qualiter autem hæc eadem registrari debeat, patebit infra.

CANON QUARTUS.

De purgatione librariæ etc.

Cum libraria fuerit purganda simul et registranda, non simul hoc fiat eodem tempore, id est ne utraque simul purgetur aut registretur. Nam hoc Conventui foret nimis onerosum, sed alternis temporibus in altera earum laboretur, prout oportunum fuerit. Et tunc in Usuali registro describatur, quid factum sit, qui codices deficiant, quid immutandum etc. Porro cum libraria solum purgatur, non est necessarium libros e cellis sursum portari, sed dumtaxat quando registrari debet.

CANON QUINTUS.

De modo purgandi librariam.

Cum libraria purganda fuerit, hoc modo procedatur. Quando a præsidente fuerit iniunctum in laboribus communibus librariam purgandam, Librarius disponat aquam, veteres pannos sive semicintia *(alt hudln lumpen)* etc., scobaria parva *(kleine besemlin)* etc. Deinde juvante Conventu divisim per

armaria ſingula, quantum locus capere ſufficit, primo libri de ſuis armariis deſurſum per ordinem deponantur ſuper menſam vel ad terram ordinate ſecundum litteras ſuas et numeros, quatenus citius poſtea reponi poſſint ad loca ſua. Deinde ſingula ſcamna illa ſeu interſticia paululum humectentur pannis illis ſive ſemicintiis, dein ſtatim lota reſiccentur. Interim vero libri excutiantur a blattis et ſitu inſidente, id est pulveribus ab intus et extra. Poſtea ſcamnis exiccatis ordinate reponantur a ſummo uſque ad deorſum. Tandem pavimentum omne purgetur, licet interim frequentius debeat aspergi, quatenus pulveres excitati reſideant. Cætera patent ipso uſu, quod conveniat, nec ne. Porro librariam laicorum purgat frater ille, cui commiſſa fuerit, quoties neceſſarium eſſe perſpexerit.

CANON SEXTUS.

De modo registrandi.

Quando libraria fuerit regiſtranda, primo provideatur de glutino biblio *(um gůte starke bappen)*. 2⁰ omnes libri, qui in cellis habentur, ſurſum reponantur; ii videlicet, ad quos altera librariarum ſpectat, id eſt, ſi nova ſit regiſtranda, ii reponantur univerſi, qui ſpectant ad novam etc. Et hoc convenientius fieret hebdomada præcedenti labores communes, vel ſaltem una die, quatenus expeditius in labore isto procedatur. 3⁰ mittatur pro libris

accommodatis iuxta deſignationem Regiſtri Recogni-
tionum, quatenus omnes codices ſint præſentes. Et
Recognitiones remittantur illis cum excuſatione etc.
4^{0} Cum omnes libri in ſingulis armariis ſuis fuerint
locati, legatur Regiſtrum librariæ, quæ regiſtratur,
et videatur diligenter, quis liber deſit, qui mox
ſeorſum in ſchedula deſcribatur et poſtea requiratur.
Pariter videatur, ſi ſchedulæ dorſales librorum ſint
ablatæ vel male cohærentes aut caducæ etc., qua-
tenus illico reſtaurentur, ſi fieri poſſit, antequam
libri deportentur. Porro notandum, quod aliquando
in parvis libellis, maxime in armariis E et I, tituli
ex integro in dorſis eorum non sunt conſignati,
quemadmodum in Regiſtris continetur, propter ſche-
dularum parvitatem. Quare ſi dubium oriatur, re-
ſpiciatur ab intra in capite libellorum, ubi ſimiliter
tituli exarati cum regiſtro magis concordantes in-
veniuntur. 5to perſpiciantur loca vacantia, quæ libris
ſignandis, ſi aſſint, ſuppleantur. Nam et tales ſimi-
liter ſurſum portari debent, licet nondum ſint ſig-
nati. Et tunc de eis iudicetur, quo quique tales
3 a ſint reponendi, | ſpecialiter curando, ne tales in ar-
mariis incongruentibus reponantur. Nam melius eſt
nonnulla loca vacare, quam libros inordinate locare.
Cum autem tales libri ſic (ut præfertur) ordinantur,
ſtatim titulus et numerus abintus inſcribantur, vel
in ſchedulis aut cartulis deſignentur, ne per obli-
vionem contingat errare poſtea. Sexto videat li-
brarius, ne libri deportentur, donec plene cognoverit
omnia bene et certiſſime ſignata et aptata, ne poſtea

cogatur laborem intolerabilem ſubire, ſi deprehenderit quippiam neglectum, quod ad hunc regiſtrandi modum deſervit. Nec novos libros patiatur auferri, ſed eos ſecum ad cellam deferat, donec fuerint abintus et extra et ad Regiſtrum ſignati ſicut cæteri. Etiam interim, dum libri adhuc in armariis ſunt, ſi nonnulli deficiant, eos faciat diligenter inquiri, etiam ſi opus fuerit per cellas, ſicut et patres ſeniores facere ſolebant. Nam ſæpe ex oblivione contingit aliquos in cellis retineri. Septimo his rite peractis, ſi librario videtur commodum præſidenti ſubindicet, quod libri poſſint ex illius licentia iam recipi, iuxta morem conſuetum, nempe ut ſinguli per ordinem a ſenioribus uſque ad juniores ſibi placitos recipiant codices, quotquot voluerint, ſingillatim tamen, uſque ad triginta, non plures, de conſuetudine domus. Quod ſi forte aliqui ſpecialem licentiam haberent peculiares libellos, quibus prius utebantur, ante communem receptionem aſportare, hoc librarius admittere poteſt, poſtquam fuerit expeditus, licet non videatur expedire propter murmurationes, excepto priore etc. De Regiſtratione librorum vulgarium videatur notula in capite Regiſtri eorundem.

SEPTIMUS CANON.

De libris quando accommodantur.

Quia de Sacriſta ſtatuta dicunt, quod libros, cum accommodantur, ſcribit, pignus retinet et cuſtodit, ſi eidem Bibliotheca non ſit commiſſa, Li-

brarius hoc faciat. Porro non accommodet libros extraneis, etiam quibuſcunque, ſine ſpeciali licentia præſidentis. Et tunc ab illis exigat Recognitionem proprii chirographi, quam ſeorſum reſervet penes ſe in ſcriniolo Recognitionum. Deinde libros accommodatos ſtatim (ne obliviſcatur) inſcribat in Regiſtro Recognitionum, annotando perſonam, diem et annum, etiam voluminis litteram et numerum. Notandum quoque, quod concluſum fuit per Conventum annuente priore, ne paſſim quibuſlibet extraneis accommodentur libri, nec ſtudentibus quidem aut ſacerdotibus ignotis, niſi forte tales eſſent, quibus hoc prior negare nequiret. Et hoc pariter debet intelligi de libris vulgaribus. Similiter nullus conventualium accommodet ulli extraneo librum quempiam ſine licentia præſidentis et absque ſcitu librarii, etiamſi infra triduum liber foret reſtituendus.

OCTAVUS CANON.

De libris vulgaribus.

Quia libri vulgares, id eſt linguæ germanicæ, comiſſi ſunt Cellerario, qui eos propter fratres laicos in ſpeciali armario ſeorſum iuxta dormitorium eorundem conſervat cuſtoditos, ne per ipſius negligentiam aut incuriam libri pereant aut deteriorentur, eum librarius interdum monere debet, ut eos diligenter reſpiciat, et nonnunquam excutiat a pulveribus, ſi opus fuerit. Nec paſſim eos ſingulis fra-

tribus exponat, niſi quantum expedire videatur annuente præſidente, diligenter notando, quos expoſuerit vel accommodaverit, quatenus ſi ex eis nonnulli forte ab aliquo conventualium requirerentur, citius poſſint inveniri vel reſtitui. Nec ullo modo quempiam ex illis extraneis accommodet ſine licentia ſuperiorum et absque ſcitu librarii, qui ſpeciale regiſtrum eorundem penes ſe ſemper retinere ſolet. Porro de his, qui ad librariam latinam ſignati ſunt ex vulgaribus, Cellerarius ſe non intromittit etc.

NONUS CANON.

Quando Librarius aliquos libros ex priſtinis armariis ſuis mutare voluerit vel transferre (quod non abſque labore gravi fieri ſolet), quid facto opus ſit, videatur in capite regiſtri generalis. Expedire tamen videtur, quod raro, niſi neceſſitate cogente, libros tranſferat, nedum propter laborem et diffi-
cultatem | Regiſtra corrigendi vel alterandi etc., sed 3 b
etiam propter diſplicentias et inquietudines conventualium, quibus hinc occaſio datur ſuſpicandi vel murmurandi de lana caprina. Unde providendum eſt, quod in omni registratione deinceps futura libri, quantumcunque fieri poſſit, in locis propriis iacere ſinantur, maxime propter Repertorium universale utriusque librariæ. Tranſpoſito enim quovis libro neceſſe erit numerum quoque et litteram tranſponi. Et contingit ſæpe in eodem volumine plures libros contineri ſub eiſdem numero et littera, quod valde

laboriosum esset alterare in dicto repertorio. Et quanquam aliquorum iudicio plurimos codices necesse foret transponi, eo quod materiæ eorum non respondeant vel congruant titulis armariorum, in quibus locati sunt, quod satis indecorum et inordinatum iudicatur, licet aliqui ad diversa possint armaria reponi propter diversas materias, sed quia propter dictas causas potius supersedetur a tanto labore. Expectandum proinde videtur, donec libraria Nova repleretur, et tunc necesse erit et opportunum, ut alteratione facta libri vetusti et pene inutiles ab utraque libraria segregarentur et ad certum locum deportarentur, vel ad speciale armarium novum propterea construendum reponerentur et libri magis utiles et preciosiores in nova libraria collocarentur, porro scripti vel alii non tam utiles in antiqua libraria servarentur, et novum fieret repertorium. Tamen hæc omnia non sine grandi labore fieri possent. Et esset hoc negocium Conventui exponendum, deinde certis anni temporibus, scilicet in operibus communibus, successive (non simul) perficiendum, deo prestante, ad cuius honorem et utriusque librariæ decorem hæc omnia peragantur.

CANON DECIMUS.

De libris novis.

Quicunque libri novi supervenerint nondum ligati, statim librarius (si ei fuerit iniunctum) eos perlustret, id est videat, ne ullus sit in eis defectus,

et cum hoc deprehenderit, mox defectum illum ſignificari faciat ei, unde libri tales ſupervenere. Deinde titulos eorum inſcribat ſeorſum in ſchedula. Poſtea faciat eos complanari, rubricari, colligari ſecundum temporis oportunitatem. Deinde faciat eos inſcribi per ſe vel priorem, unde provenerint cum aſſignatione titulari, prout in aliis libris conſuetum eſt, quanquam nondum ſint ad librariam cum numeris deputati. Expedire enim videtur, quod prius inſcribantur iam commemorata una cum litteris pro armariis congruentibus, quo facilius poſtea poſſint regiſtrari. Nullum denique librum ſurſum faciat reponi, niſi ſufficienter antea præparatum.

UNDECIMUS.

Ad idem.

Si libri novelli ſint tenues aut parvuli, ſive diverſarum materiarum, id eſt quod conpetant ad diverſa armaria, non faciat eos ſimul ligari, nec pariter faciat eos nimis tenues colligari, ſed expectet, eoſdem reſervando, donec plures aggregentur etc. et juxta materiam congruentem. Hoc idem ſentiendum eſt de libris vulgaribus, niſi forte prior iuberet aliquos tales ſtatim colligari. Nec pariter librarius accommodet tales non ligatos libros conventualibus aut ſecularibus, ne diſtrahantur aut maculentur aut certe minus abiles ad ligandum reddantur, niſi de licentia præſidentis.

CANON XII.

De libris Chori, quanquam magis ſpectent ad tutelam Sacriſtæ, nihilominus tamen Librarius diligenter eos reſpiciat, ſiquid forte fuerit in eis inſtaurandum, præſertim in his, cum quibus divina celebrantur officia, quatenus mundi et integri ſerventur, ſi Sacriſta foret negligens. Porro ſi quid in eis eſſet emendandum, hoc ſpectat ad Emendatorem.

Inſuper tamen eos peculiarius reſpiciat, qui in armario Chori poſiti, etiam ad 'librariam ſunt ſignati. Nam ii ſolum ob hoc ibidem ſunt locati, ſiquid dubietatis vel quæſtionis oriretur in terminis ſeu dictionibus aut cerimoniis eccleſiaſticis, ut non cogamur ſemper ſurſum ad Librariam currere, ſed ſtatim ad manum habeantur.





INDEX SIVE CATALOGUS 4a

LIBRORUM PRO ARMARIO CHORI

QUI ETIAM AD LIBRARIAM SUNT SIGNATI.

(Nec omnes ex his, ſed aliqui in eodem armario habentur.)

VOCABULARII.

Catholicon. A. i.
Breviloquus. A. iiii. A. xii. A. xiii. A. xiiii. A. xv etc.
Mammætractus. A. ix. A. iii. A. xxvij. A. xliii. A. lxviij.
Predicantium. A. v. A. vi. A. lij. A. lx. A. lxiiij etc.
Rerum. A. 18. A. 51. A. 62.
Ex quo. A. cxlix. A. vii. A. xix. A. xxxiii. A. xxxix. A. c. A. cxlix.
Valde bonum A. cxxxix pmi
Opus pacis. A. cxxxix. 27 et A. 30
} Iſti duo libelli deſerviunt pro accentibus biblicis in ordine conſuetis.

SERMONES.

Sancti Bernardi. D. i. Qui frequenter super annum in refectorio leguntur.
Capitulares. D. xx. D. xxij.
S. Auguſtini. In exequiis fratrum. C. ix.

LEGENDÆ SANCTORUM.

Lombardica. C. lxxviij.
B. Sylveſtri papæ. C. ix.
B. Brunonis. C. ix et C.
Item Rationale divinorum. H. xxj.
Ludolphus de vita Chriſti, in quatuor voluminibus pergamenicis ſcriptus, pro lectura Refectorii. F. iii ter et F. iiij ſemel.
Statuta antiqua in pergameno.
Gloſa Statutorum ſcripta. E. cxlvij.

Hos itaque vel conſimiles neceſſario conſervari oportet in dicto armario Chori vel ſaltem aliquos ex eis, qui ſub formis in Choro procuratoris iuxta introitum locantur, ut ſunt ii, ex quibus in refectorio continue legitur, quatenus tales ſemper ad manum habeantur, et non ſit opus hincinde diſcurrere. Nec cuiquam licet eos ad cellam deportare, niſi mox reſtituturus. Et licet aliqui ex eis ſint ad librariam ſignati, tamen ſpecialius huic loco deſerviunt, unde ad diſcernendos eos in dorſis ſuis iuxta literas ſuas habent aſſcriptum ly. Chori. Sunt præterea complures alii libri, qui tum in Choro, tum in cellis

habentur, de quibus librarius ſe non intromittit, niſi ſpecialiter iuſſus. Nam in armariolo pulpiti choralis continentur Statuta impreſſa, Liber Evangeliorum ſcriptus, Exequiale, Sermones capitulares etc. Porro in cellis habentur diurnalia cum breviariis, pſalteriis, curſibus, ordinariis etc. juxta ſufficientiam oportunam. Inſuper et pro ſingulis cellis Statuta noviter (1510) impreſſa. De quibus is, cui cellæ vacantes commendatæ ſunt, requirere habet, aut magiſter Novitiorum, ut ſciatur, quid ad ſingulas cellas neceſſario in talibus requiratur, ſive deficiat. De miſſalibus autem, antiphonariis, et homeliariis biblicisque voluminibus atque collectariis, ad Sacriſtæ pertinet officium.

NOTULA POSTREMA.

Expedit, ut Librarius generalem licentiam a priore capiat pro egrediendo cellam, et pro ſolicitiori cura ſui officii, utque valvas utriuſque bibliothecæ ſub aura ſerena aperiat et imminente tempeſtate, pluvia, nebula hiemalique tempore claudat. Sicut enim pluvialis aura plurimum codicibus obeſt, ita ſerena vel ventoſa prodeſt.





EPILOGUS EDITORIS.

nformatorium Bibliothecarii, quod tibi, benevole lector, data solemni occasione nunc primum publici juris factum offero, e codice Basiliensi A. R. I. 2 signato desumptum est, quem ab initio usque ad finem frater GEORGIUS CARPENTARII DE BRUGG, Carthusiæ monachus professus (1509—1529), propria eademque nitidissima manu exaravit. Tria folia in capite voluminis posita Informatorium occupat, reliqua vero «Registrum pro antiqua bibliotheca» continent.

Omnia, quæ de duobus Carthusiensium bibliothecis, de Informatorio nostro et de fratris Georgii vita et scriptis scitu digna sunt, diligentissime collecta et uberrime illustrata invenies in Chronicorum Basiliensium tomo primo (pag. 236, 313 et 359), quem ante hos sedecim annos auspiciis Societatis historicæ Basiliensis edidit Guilelmus Vischer, amicus candidissimus, quem præmatura morte nobis bonisque litteris abreptum etiamnunc graviter lugemus.

Coronidis loco ea hic subnectere placet, quae frater ipse Georgius de libraria domus Vallis beatæ

Margarethæ in Continuatione chronicorum Carthusiæ (loc. cit. p. 328) narravit. Verba hæc sunt:

«Superest, quantum dicta domus sub venerabili patre JACOBO LOUBER DE LINDOW in temporali substantia succreverit. Imprimis de bibliotheca, in qua ceu granario quodam spiritali uberrimus consolationum internarum proventus et sempiternus animarum cibus, statutis ordinis testantibus, est reconditus, pauca perstringenda sunt. Igitur bibliotheca, quæ ante eundem pastorem quasi pæne nulla erat, quantum sub eo libris ac codicibus pro omnium artium ac scientiarum facultate referta fuerit, unusquisque facile conjicere poterit, si titulos exteriores, id est eos, qui in frontispicio singulorum, ipsius eiusdem propria manu conscriptos aspexerit. Singuli quippe codices bibliothecæ nostræ singulas in se continent notulas, diligenter, a quo quisque provenerit, exaratas. Igitur ultra mille ducentorum voluminum extendit se numerus, sub eodem patre cæteris codicibus veteribus adjectus, quorum tamen maximam partem dominus JOANNES DE LAPIDE, sacræ paginæ doctor, ordinem ingressus secum apportavit. Denique tantus excrevit codicum veterum et novorum acervus, ut opus fuerit binas construi bibliothecas, alteram veterem, in qua codices vetustiores et scripti continerentur sub ordinali numero vulgari consignati, alteram novam sub cyfrali numero pro noviter impressis et futuris reponendis, cum suis propriis registris et intitulationibus singulorum armariorum, mira quadam et singulari novitate dictos codices ordinatissime collocandi. Quo nimirum patet, quantæ vir iste sagacitatis et industriæ

fuerit ac laboris indefessi, qui tantum potuerit se in talibus defatigare, in qualibus vix otiosissimus quisque monachus semetipsum agitare vel exercere dignaretur. Sed quam ob rem? Equidem reor: non ob aliam, nisi quia litteras ex animo charas habuit, et quia noverat, quantum utilitatis et quietis in solitudine versantibus amor litterarum pariat, tum quia decorem domus dei dilexerat, quem bonorum librorum copia non parum commendat utique præ cæteris ornamentis universis.»

Sed hæc satis multa vel plura potius quam necesse fuit. Optime vale, amice lector, veteremque librarium, hoc die festo undecimum vitæ lustrum claudentem, prosequere favore benigno.




IHS
AD·P


3 2044 019 845 684

